DE CURATIONE HERNIAE INGUINALIS INCARCERATAE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

PRO GRADU

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORIS

RITE IMPETRANDO

DIE XXI. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRID. CONSTANS SPIRITUS,

RHENANO - BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

F. LEONHARDT, MED. ET CHIRURG. DR.,

A. GERHARDI, MED. ET CHIRURG. CAND.,

E. HELD, MED. ET CHIRURG. CAND.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

JO. FR. CONST. SPIRITUS,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,

PATRI

TER OPTIMO NEC UNQUAM SATIS

VENERANDO,

JO. FR. CONST. SPIRITUS,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI,

PATRI

TER OPTIMO NEC UNQUAM SATIS

VENERANDO,

HOCCE

SPECIMEN INAUGURALE

PIA GRATAQUE OFFERT MENTE

FILIUS.

Si remediorum sylvam a medicis ad curandas hernias inguinales incarceratas commendatam perlustramus, haud facile remedium e classe antiphlogisticorum, antispasticorum, drasticorum et narcoticorum, omissum esse, reperiemus. Commendaverunt medici Kali nitricum, herbam digitalis purpureae, hydrargyrum muriaticum mite, aquam lauro-cerasi, castoreum, moschum, pulverem radicis ipecacuanhae, extractum hyoscyami, opium, pulverem et extractum radicis belladonnae etc. commendaverunt laxantia e natro sulphurico, magnesia sulphurica, e pulpa tamarindorum, e kali tartarico, foliis sennae, ex oleo ricini, oleo lini et e sulphure praecipitato; nec non remedia laxantia drastica ex aloë, e pulvere radicis rhei, jalappae, extracto colocynthidis; ex infuso herbae nicotianae tabaci etc. etc. Extrinsecus adhibenda suaserunt clysmata e magnesia sulphurica, ex aceto aqua diluto, e fumo herbae nicotianae tabaci, ex infuso herbae nicotianae tabaci, ex oleo terebinthinae cum vitellis ovorum, e tartaro emetico, vino stibiato; nec non mitigantia et narcotica ex infuso fabarum arabicarum tostarum, ex emulsionibus, ex infusis herbae cicutae, radicis belladonnae, e solutionibus extracti hyoscyami, opii; — cataplasmata tumori herniali superimponenda modo emollientia, modo adstringentia; linimenta antispasmodica, frigus, instillationem aetheris; fomentationes frigidas ex aqua

frigidissima, glacie, fomentationes *Schmuckeri*; venae sectionem, hirudines officinales, taxin, operationem.

Multa horum castigatione cauta attentaque adhibita non modo esse inutilia, sed adeo noxia, medicorum nostri temporis experientia evicit. Omnis therapia herniarum inguinalium incarceratarum dividitur in

therapiam pharmaceuticam et in
therapiam chirurgicam.

Therapia chirurgica rursus dispescitur in

taxin et in
operationem herniae inguinalis incarceratae.

THERAPIA PHARMACEUTICA.

Sicut in curando quodam morbo therapia generalis nos docet, non symptomatibus, sed morbi naturae medendi rationem adaptare, sic et in curanda hernia inguinali incarcerata, utrum species sit inflammatoria, an spastica, an lenta, an organica, dignoscere nobis studendum est. Primum nobis exponenda est therapia herniae incarceratae inflammatoriae.

THERAPIA HERNIAE INGUINALIS INCARCERATAE INFLAMMATORIAE.

Ex diagnosi et descriptione decursus hujusce speciei elucet, inflammationem statim adesse et nisum, rapidissime in gangraenam transeundi. Quare medici est, omnem adhibere operam, ut vis inflammationis quam celerrime infringatur et gangraena evitetur. Hunc ad finem universus requiritur apparatus antiphlogisticus. Primum instituenda est venaesectio et, si fieri potest, in balneo tepido, neve parcat medicus sanguini. Sunt, qui sanguinem ad

lipothymiam usque mittere suadeant, sed multis non placet hoc extremum auxilium. Quis venam claudere suadeat, si emissis paucis sanguinis guttulis femina hysterica aut sanguinem abhorrens anima deficit? quis contra viro valetudine optima, viribus herculeis, et tono fibrarum summo gaudenti tantam humoris nobilissimi copiam detraxerit, ut tandem, et fortasse serius, deficiat? Quare copia sanguinis detrahendi secundum corporis constitutionem statuatur, nec aliam regulam in ea definienda sequi par est, quam eam, qua melius esse censetur, majorem, quam minorem, copiam aegroto detrahere.

Ne autem nobis pulsus debiles, parvi, suppressi, frigus extremitatum, facies pallida, collapsa, tremor artuum, aliaque symptomata similia sint contraindicationes venaesectionis. Ea omissa medicus omni jure accusandus est, quod transitum inflammationis in gangraenam induxerit.

Detracta autem sufficiente sanguinis quantitate, si dolor et alia incarcerationis symptomata adhuc perdurant, adhiberi possunt circa tumorem hirudines iisque remotis, fomentationes frigidae ex aqua frigida, glacie etc. Obstructionem pertinacem clysmatibus irritantibus, praecipue ex aceto aqua diluto, tollere studemus. Haec remedia adhibentes taxin, de qua postea sermo erit, tentamus; sed, si, propter symptomatum vehementiam et aegroti constitutionem, hac curandi methodo, praeterlapsis septem ad viginti quatuor horis, taxis non contingit, ad operationem herniae confugimus. Cavemus vero, ne nimis cito, nondum instituta venaesectione et detractione sanguinis locali haud praemissa herniam reponere tentemus; non modo vi inflammationis in eodem gradu persistente eventus spem

fallet, sed manipulatione nostra phlogosin augebimus.

Sed nonne tibi opus est remediis internis? Non opus est. Omnia enim, quae nobis adhibenda essent, tractui intestinorum, cujus irritabilitas et sensibilitas sunt auctae, stimulum nimis magnum inferunt et vomitus, aegrotum praeterea tantopere crucians, modo augetur. Vix intelligendum, qua ratione, medici et maxime quidem spectabiles, tam diu aegrotum, malo illo laborantem, remediis internis vexare potuerint, quamquam aegroti iis verbis sat claris dixerint, ea supervacua esse, cum vix sumpta, vomitu rursus ejicerentur. Et non modo supervacua, sed inutilia et noxia sunt medicamina ore sumpta, nam vomitus, si semel supervenit, haustis medicamentis adhuc augetur et vomitu tam urgente et hac de causa motu antiperistaltico tractum intestinalem tantopere occupante, quomodo fieri potest, ut clysmatibus motus peristalticus restituatur restitutoque alvus solvatur? Abstineamus igitur a remediis internis, nisi forte, doloribus saevientibus, inquietudine, anxietate summa ac vomitu pertinacissimo vexato aegro opio succurrere volumus, quo remedio non modo nobis, sed etiam aegroto satisfacimus, sed abstineamus et ab hoc remedio, si eo assumpto, vomitus non mitigatur, oportet.

Diaeta sit antiphlogistica. Ori sicco et ardenti potum frigidum et acidulum suppeditamus. Sed ne hauriat aegrotus plus, quam quo desiderio flagranti aliquo modo satisfaciat. Potus enim largior ventriculo molestus est, eoque vomitus, si nondum adest, movetur, aut, si aegrotus eo jam vexatur, magnopere augetur. Aegrotus loco jaceat frigidiusculo; ne recondatur sub stragulis gravibus, calidis; utatur

integumento levi, tenui; pedes et superior corporis pars admoveantur abdomini, ne tensis abdominis musculis incarceratio augeatur et hoc modo inflammationi novus stimulus addatur.

THERAPIA HERNIAE INGUINALIS INCARCERATAE SPASTICAE.

Si autem symptomata incarcerationem spasticam indicant, nunquam, incarcerationem esse acutam et vix exortam inflammationis signa prae se ferre, obliviscendum. Quare, si morbus noster in constitutione ad spasmos prona, in puellis feminisque hystericis, sub conditionibus, in quibus alio in casu et alio irruente morbo, utrum sanguis detrahendus sit, nec ne, valde haesitarent medici, saepius timerent venaesectionem, non differenda et minime omittenda est sanguinis detractio universalis. Sed in statuenda sanguinis copia spectandas esse vires, constitutionemque aegroti, nec detrahendam esse tantam quantitatem, quantam in incarceratione inflammatoria, in hominibus robustis, plethoricis, neminem fugit. Fomentationes frigidae, in therapia herniae inguinalis incarceratae inflammatoriae laudatae hic non prosunt; adhibenda potius linimenta cum camphora et opio iisque superimponenda cataplasmata ex herba chamomillae, e cicuta, hyoscyamo; non modo autem tumor hernialis, sed totum etiam abdomen iis obtegatur, oportet. — Prae ceteris autem in incarceratione spastica laudanda videntur balnea tepida, vel ex aqua tepida simplici, vel ex aqua, cum decoctis et infusis remediorum antispasmodicorum mixta. Qui vim balneorum antispasmodicam cognovit, nunquam balnea nostro in morbo commendare et adhibere omittet.

Nec hac in specie curanda clysmata negligenda. Laudantur enemata ex aceto, aqua diluto, ex infuso belladonnae, hyoscyami, opio, et praeter alia e fumo aut decocto herbae nicotianae tabaci. Sed quamquam fere omnes horum praestantiam testantur, eorum ope spasmum sedari et alvum solvi, vix mihi persuasum habere queo; et, si, quod sentio, profiteri mihi licet, confitendum mihi, ea magis nocere, quam proficere. Iis enim aegroto applicatis, non modo vomitus augetur, sed aeger inquietudine anxietateque corripitur, intestina quasi tympanitica expanduntur, abdomen intumescit, sudores exoriuntur frigidi, nec raro aeger anima deficit. Ne credamus enim, fumum herbae nicotianae tabaci modo vim exhibere narcoticam, quod si vere ita esset, aeque commendanda essent clysmata ex fumo et decocto herbae laudatae, ac ex aliis medicamentis narcoticis et antispasmodicis, sed gaudet etiam praecipue fumus herbae nicotianae vi irritante et stimulante, quae principium narcoticum ei inhabitans longe superat. Tamen mihi enemata e fumo et decocto herbae nicotianae haud spernenda, potius magnopere laudanda et commendanda viderentur, si alvum adstrictam, quamvis non semper, tamen crebrius, solverent, sed talem effectum non praestant, quem clysmata e speciebus emollientibus, antispasmodicis et narcoticis, adjecta aceti vini quantitate, ut motus peristalticus acceleretur, non modo multo facilius et celerius, sed etiam crebrius et sine illis iam allatis symptomatibus, aegrotum non solum vehementer cruciantibus, sed etiam revera periculosis, et ex optato medici, et aegroti adducunt.

Post institutam venaesectionem multum et si

observationibus nonnullorum fidem adhibere volumus, plurimum prodesse in incarceratione spastica pulverem radicis ipecacuanhae in refracta dosi, constat. Plerumque autem ipecacuanha una cum opio utuntur, et, ni fallor, hac in curandi methodo opio major ipecacuanha efficacia adscribenda est. Hoc remedium et in aliis morbis praestantissimum, hic quasi specificum nominari potest. Dolores, anxietatem et inquietudinem aegroto mitigat, spasmum tollit et saepius applicata opii dosi, nisi incarceratio tollitur, remissiones saltem longiores fiunt. Inprimis autem, si spasmi revertere et symptomata atrociora evadere minantur, opium locum tenet et adhibitum non modo spasmos mitigat, sed saepius etiam paroxysmum plane supprimit. Et vix etiam vomitu ejicitur. Opium aut purum porrigitur, aut cum pulvere radicis ipecacuanhae, cum hydrargyro muriatico miti, cum moscho, castoreo, camphora mixtum. *Rustius* formulas sequentes, praesertim efficaces, si caute adhibeantur, laudat.

Rec. Calomelan. Grjjj
Opii puri
Moschi optim. aa Grjj
Sacch. alb. Gr X.
M. f. pulv. D. S. Hauriatur omni bihorio dosis.

Rec. R. Calomel. Gr IV.
Pulv. rad. ipecacuanh. Gr ß

Sed mihi cavendum videtur, ne plura adhibeamus remedia; sensibilitate ventriculi atque irritabilitate aucta, facillime fieri potest, ut hausta rursus ejiciantur, quod evitare possumus, si opium solum praescribimus. Dum aegrotum his uti pharmacis jubemus, taxis tentanda est. Saepius hernia sponte recedit, casus felicissimus; quod si non contingit,

si fieri potest, repositionem in balneo tepido experiamur; secundum *Rustium* modo tunc, si hausta sufficiente opii copia, narcosis invadit. Sed, si et prius experimentum facimus, noxam adducere haud potest.

Diaeta, qua aegrotus hac in specie utitur, a praescripta in therapia herniae inguinalis incarceratae inflammatoriae haud differt.

THERAPIA HERNIAE INGUINALIS INCARCERATAE STERCORACEAE.

Hernia incarcerata stercoracea, a contentis intestinorum orta, praeter alias incarcerationis species interna remedia in usum vocanda admittit. Lenta incedit, ad inflammationem haud adeo proclivis, ut supra tractatae species, operationem tam saepe non requirit, quam illae. Quum autem faeces in intestinis in sacco herniali contentis adauctae causam praebent incarcerationis, medici est, primum molem materiarum excrementitiarum diminuere; quem ad finem motus peristalticus requiritur adauctus. Huic scopo remedia laxantia et clysmata alvum exonerantia respondent ex oleis salibusque consistentia. *Richterus* praecipue hanc laudat formulam.

Rec. Sal amar. ℥j
Aq. chamomill. ℥v
Ol. lini ℥jj
Succ. citr. rec. express. ℥j
Opii pur. Grjj
Syrup. papav. ℥j.

M. D. S. Singulis horarum quadrantibus cochleare, donec alvus solvatur, sumendum.

Acidum citricum opiumque, ut ventriculi irritabilitas sensibilitasque diminuatur addita sunt. Et

oleum ricini, sulphur praecipitatum, sicuti salia neutra alvum saepius solvunt.

Clysmata ex medicamentis jam saepius laudatis, intestina irritantibus, adhibenda. Hac in specie praecipue commendaverunt medici clysmata ex infuso et fumo herbae nicotianae tabaci, sed et hac in specie incarcerationis mea sententia nocere videntur.

Sunt, qui cataplasmatibus utantur humido-tepidis, sed tantum abest, ut utilitatem praebeant, ut noxam mihi afferre videantur. Calore enim tepido tumori herniali adhibito occasio ad gas porrigitur formandum, gas autem inclusum lumen adauget intestinorum et eorum mole creta incarcerationis symptomata etiam augeri, facile intelligendum. Quare praeferendae fomentationes frigidissimae, frigus enim hic adstringendo tonumque roborando, molem intestinorum et faecium constringendo saepius incarcerationem sanat. Si autem hernia incarcerata, indolem induit inflammatoriam, ad apparatum confugimus antiphlogisticum; quo adhibito, si taxis non contingit, operationem facimus.

CURATIO HERNIAE INGUINALIS INCARCERATAE ORGANICAE.

Incarceratio herniae inguinalis concretae plerumque, quamquam decursus non tam acutus est, eandem curandi methodum requirit, quam incarceratio inflammatoria. Sed et remedia ore sumpta et taxis hic non prosunt, et si suspicari possumus, concretionem sacci hernialis praebere causam incarcerationis, herniotomiam quam celerrime instituendi ratio adest.

THERAPIA CHIRURGICA.

Taxis.

Tempus, quo taxis instituitur, exacte respiciendum. In incarceratione inflammatoria et spastica nunquam sine sanguinis missione taxis tentanda. In incarceratione spastica remedia prius laudata porrigimus et paroxysmo fracto repositionem taxeos ope experimur. Cavendum autem, ne in incarceratione inflammatoria et spastica nimium tempus tentanda taxi teratur, ne inflammatio in gangraenam ruat et sic demum instituta operatione eventus quam maxime fiat periculosus. In incarceratione stercoracea, ubi inflammatio non tam rapide irruit, taxis optimum remedium, nam exstant exempla, ubi repositio die decimo septimo post incarcerationem contigit sine ullis inflammationis et gangraenae symptomatibus periculosis. Et constitutio aegroti respicienda. Quibus elucet, certum temporis spatium definiri non posse, in quo taxis tentanda sit; hoc enim dependet a multis supra laudatis conditionibus. Quamquam autem herniotomia nullo modo carere possumus, tamen mihi taxis a medicis nimis negligi et operatio saepius, quam necesse est, adhiberi videtur.

Quibus allatis nunc ad modos taxin instituendi diversos describendos me converto. Conditionem corporis eam esse oportere, ut annulus abdominis quam maxime sit relaxatus, minimeque tensus, neminem fugit. Simul cavum abdominis amplificari studemus, abdomen et praecipue tumorem hernialem ita collocamus, ut sit pars corporis maxime elevata. Quare collocatio aegroti durante incarceratione non modo, sed praesertim etiam, dum taxin tentamus, sit haec: Jaceat supinus, neu surgat, neu sedeat, neu jactet corpus aliquo modo. Sin autem

situm mutare velit aeger, adjuvetur ab aliis oportet, ne nisu et mutatione corporis contractio musculorum abdominalium oriatur, qua cavi spatium minuitur. Pelvis paullulum altius collocetur, quam caput pectusque, ut tumor magis promineat, qua de causa aegrotus paullulum ad latus sanum cubet, necesse est. Ne tensio abdominis noxia oriatur, pes lateris, in quo est hernia, elevandus est et flectendus. Praeterea aegrotus valde caveat, ne inter taxin exspirationem negligat atque clamores tollat.

Taxin nunc hoc modo instituimus. Tumorem hernialem sic amplectimur, ut fundus ejus jaceat in vola manus, digiti autem latera circumdent; tum eum elevando ab abdomine amovemus, quo facto versus annulum abdominis et quidem a parte inferiori ad superiorem et a parte interiori magis extrorsum premitur; quod cum agimus, cavendum, ne statim omni nisu repositionem tentemus, sed potius vim minorem initio adhibeamus et sic sensim sensimque majorem exerceamus in tumorem pressionem. Si enim tumorem manipulatione haud subtili, sinistre et rustice tractamus, mox adeo dolet, ut taxi sit abstinendum. Facile etiam, si extemplo tanta utimur vi, intestina sic versus annulum abdominalem truduntur, ut ab iis plicae formentur, quae haud raro quodvis experimentum, a nobis ad eas reponendas tentatum, spernunt. — Sin autem taxis sic instituta minus succedit, tumorem omnibus in directionibus reponere studemus, nec est supervacuum, si hernia jam saepius prolapsa ab aegroto reponebatur, ex eo quaerere, qua manipulatione prius ab eo sit reposita, qua et nos utamur, oportet.

Alia taxeos methodus eo consistit, quod partes, quae herniam circumdant, versus centrum tumoris truduntur. Hunc ad finem totum tumorem pro ejus ambitu aut una, aut duabus manibus amplectimur, digitisque ut plurimum eum tegimus; quo peracto eum paullulum elevamus, simulque pressionem a tota superficie in eum exercemus aequalem eumque modo huc, modo illuc flectendo reponere studemus. Haec methodus praecipue salutaris est, si faeces pone annulum sunt accumulatae, aut si ab intestinis prolapsis plica ante eum est formata.

Tertius taxin instituendi modus, a Richtero praecipue in curandis parvis tumoribus et in incarceratione recenti laudatus, eo a methodis jam descriptis differt, quod hic manipulationem non tam in tumorem hernialem, quam potius in collum herniae et annulum abdominalem vertimus. Imponimus nempe annulo unum aut duos digitos eosque vi sensim sensimque aucta quasi ei imprimimus; quae dum agimus, aegrotum jubemus reflecti, ut tensis abdominis musculis annulus amplificetur.

His omnibus methodis frustra adhibitis aliud artificium laudant *Morand*, *Sharp* et *Louis*. Homo validus aegroti pedes sic humeris imponit, ut humeris genua incumbant, abdomen fiat pars maxime prominens et caput pectusque lecto adhuc inhaereant, quo in situ medicus taxin exercet.

Repositio herniae taxi adhibita vario modo secundum sacci contentorum indolem fit. Si pars tractus intestinorum in saccum prolapsa est, manipulatione nostra tumor sensim sensimque diminuitur, fit mollior, donec tandem subito et cum strepitu in cavum abdominis redeat. Si e contrario

pars

pars omenti sacco inhaeret herniali, repositio medico majorem offert operam, cum et minima ejus particula ab eo per annulum retrudi debeat. Repositione facta, saccus remanet vacuus, quare tumor parvus in latere, quo hernia incarcerata aderat, timorem, ut plane sit reposita, nobis haud incutiat. Bracherio apto aegrotus, repositione feliciter peracta, utatur, necesse est; quod, ne hernia denuo prolabatur, multos per annos est adhibendum.

Symptomata incarcerationis post repositionem aut evanescunt; aut modo mitigantur et sensim status integer revertitur; casus crebrior, cum in statu morboso circulatione sanguinis paullulum interrupta aliisque causis irritabilitas et sensibilitas in partibus affectis aucta indolem subinflammatoriam aut revera inflammatoriam adduxerit; aut symptomata eadem adhuc vehementia aegrotum cruciant, nec mitigantur remediis interne et externe adhibitis. Casus tristissimus. Causae exhibentur diversae: Aut hernia modo partialis reposita est, et pars adhuc incarceratur; aut aegrotus duabus laborat herniis, quarum major modo in cavum rediit abdominis; aut manipulatione medici ad reponendam herniam instituta volvulus formatur. *Richterus* huc refert casum, quo, repositione peracta, signa etiam incarcerationis persistunt. In herniis inveteratis, ait, partem intestini in annulo per longum tempus sitam constringi et, exorta incarceratione, taxeos ope reposita transitum faecium impediri, quo symptomata incarcerationis orirentur. Prognosis his sub conditionibus tristis; symptomata dira minantur, sed medicus saepissime causam dignoscere nequit, et therapia modo tussi, nisu, motibusque aegroti eo perducere studet, ut hernia denuo prolabatur, quo in

casu taxis rursus tentatur, aut herniotomia instituitur. *Richterus*, si hernia non prolabitur, suadet, saccum hernialem vacuum, tunc annulum abdominis incidendum et operationem instituendam. Sequentes autem status taxin vetant:

1) Si herniae inveteratae, per longum tempus bracherio retentae, prolabuntur et incarcerantur, quia hoc in casu collum sacci hernialis induratum est et constrictum.

2) Si inflammatio jam nimis progressa est.

3) Si gangraenam jam exortam esse suspicamur.

4) Si hernia inveterata concreta incarceratur.

5) Si volvulus partis tractus intestinorum incarceratae adest; quod autem praesagire haud possumus.

Indicationes ad herniotomiam ex prolatis sat clare elucent. Incarcerationes illae, cum symptomatibus status inflammatorii, cum pulsu debili, frequente, parvo, quem vocant abdominalem, vomitu continente, obstructione pertinacissima, praecipue si in constitutionibus ad inflammationes pronis occurrunt, operationem herniae postulant.

Sin autem medicus, utrum adsit inflammatio, nec ne, haesitet, herniotomia suadenda.

Temporibus recentioribus non defuerunt chirurgi, qui operationem non inflammationis tollendae, sed curationis radicalis causa suaderent. Methodo enim apta adhibita, canalem hernialem plane claudere volunt, sed eventus plerumque spem fallet, quare exitus dubii causa tam periculosam operationem instituere haud licet. — Alii herniotomiam in herniis concretis, quamvis non incarceratis, institui volunt; haec autem indicatio cum modum gra-

dumque concretionis haud praedicere possimus, minime defendi potest.

Status, qui herniotomiam omnino vetet, proprie non adest, nisi forte gangraena saeviens in organismum tantam exercuit vim, ut mortem certissime praedicere possimus. — Chirurgia quidem priorum contraindicationes statuit plures, sed nostris temporibus argumentis sat subtilibus refutatae sunt.

Herniotomiam ejusque methodos hic describendi nec spatium, nec tempus.

Methodus curandi, herniotomia peracta, praecipue eo consistit, quod partibus repositis, haemorrhagia sedata, vulnus purgemus, fascias aptas rite collocemus, alvum bene respondere curemus et methodum antiphlogisticam adhuc adhibeamus. Vulneri plerumque praeterlapsis quadraginta ad quinquaginta diebus cicatrix inducitur. Toto hoc tempore semper supinus jaceat aegrotus et praecipue caveat, ne diaeta incongrua vel sordes accumulentur vel alvus obstruatur; neve omittat, per longum tempus bracherium adhibere.

VITAE CURRICULUM
EX
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS
DECRETO ADJECTUM.

Ego Fridericus Constans Spiritus, confessioni addictus evangelicae, die VI. m. Januarii anno MDCCCVI Fildae, in villa prope Radam, oppidum ducatus montium natus sum. Patrem veneror Joannem Fridericum Constantem Spiritus, medicinae et chirurgiae Doctorem atque matrem Helenam Catharinam e stirpe Halbachiana. Primis literarum rudimentis imbutus, anno aetatis meae nono Cel. Nohl, verbi divini apud Remlingradenses ministro, ad instituendum traditus sum, cujus opera eo perveni, ut die sexto m. Maji anni MDCCCXXI in classem secundam gymnasii celeberrimi Guilburgensis reciperer. Ibi per integrum biennium moratus, gymnasium, quod floret Tremoniae, petii et testimonio maturitatis instructus, die XXII m. Octobris MDCCCXXIII a Gesenio, Rectore Magnifico, civis sum factus universitatis Halensis. Avum, patruum, avunculum et patrem in medicinae studio secuturus, nomen apud Cel. Dzondi, t. t. facultatis medicae Decanum, professus sum. Lectionum, quibus Halae per annum interfui, hic fuit ordo: Cel. Gerlach logica et psychologia empirica, Illustr. C. Sprengel botanice, Illustr. Schweigger physice et chemia, Illustr. Nitzsch zoologia me instituendum curaverunt. Illustr. Mek-

KELIO in anatomia universa, in physiologia tam generali quam speciali et in anatomia pathologica praeceptore usus sum. Encyclopaedia et methodologia medica a Cel. FRIEDLAENDER sum institutus.

Ad studia persequenda Berolinum petii autumno anni MDCCCXXIV., ubi ab Illustr. RUDOLPHI, t. t. Rectore Magnifico, numero civium academicorum adscriptus et ab Illustr. LINK, t. t. facultatis medicae Decano, in album receptus sum. Interfui autem his lectionibus: Illustr. RUDOLPHI de anatomia universa quam pathologica; Illustr. KNAPE de syndesmologia; Illustr. LINK de pharmacologia et toxicologia; Cel. OSANN de materia medica; de pathologia generali Illustr. HECKER, de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis et de vesaniis Illustr. HORN; de semiotice et de therapia generali Perillustr. C. W. HUFELAND; de chirurgia generali et speciali Illustr. RUST, eundem et Illustr. KLUGE de akiurgia; de artis obstetriciae cum theoretica tum practica parte et de fracturis et luxationibus Illustr. KLUGE disserentem audivi. Arte cadavera dissecandi Illustr. KNAPE una cum Illustr. RUDOLPHI me instituerunt. Praeterea exercitationibus clinicis tam medicis quam chirurgicis virorum Illustr. BERENDS, HUFELAND et RUST et auscultando et ipse medicinam faciendo interfui.

Jam peracto hoc studiorum medicorum cursu et tentamine examineque rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Arteriotomia plane rejicienda.

II.

Vis naturae medicatrix in morbis acutis major est, quam in chronicis.

III.

Natura febris et inflammationis eadem est, neutra autem unquam asthenica.

IV.

Certa graviditatis signa ante dolores ad partum proprie sic dictos non habemus.

V.

Haud exstant certa virginitatis signa.